



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theophili Bernardini E Societate Iesv De Religiosæ Perseverantiae Præsidiis Libri XI. ...

Bernardin, Théophile

Antverpiae, 1622

13. Eiusde[m] rei indicium à memoria quæritur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47032)

CAPVT XIII.

In eandem rem quid indicij, ex memoria, seu imaginandi facultate capiamus.

A Nnon rerum bene à me, & cum laude gestarum, vel facilis, vel grata est recordatio? quàm statim, & cæteruatim mihi rationes occurrunt, cur mihi hæc & illa debeantur? cur mecum non sic aut sic agi debuerit?

Annon ingrata, & perturbatrix quietis est, memoria eius rei, loci, temporis, vbi apud homines grauius offenderim, imprudētius egerim, incautior, simplicior, irrisioni opportunior visus fuerim? annon magis opinionis meæ quàm gratiæ diuinæ detrimentum doleo: & cum acerbitate quidem, aduersus honestatis ciuilis leges fecisse me recogito, at quodd in diuinæ legis præscripta peccaauerim, si modo later, minùs moueor? Ah quoties, vbi aliquid minùs prouidè factum, minùs blandè, nec satis honorificè compellatus aliquis, aut aliud præter mores admissum est, nos pudet, anxie & sollicitè excusamus! at verò malè & flagitiosè, dum tamen occultè, patratorem, aut nullus aut permodicus dolor tangit, ad eò opinionis potiùs umbrà, quàm solidæ virtutis amore ducimur.

Quàm statim, & facilè è memoria mihi excidunt, quàm agrè in cogitationè reuocantur, quæ mei contemtionem, iniuriarum & crucis amorem prouocant? cum tamen & in minimis & in maximis quibusque, vltro protinus, & nõ aduocata recurrant omnia quæ meam mihi exultationem, quæ iniuriarum & crucis horrorem, quæ rerum blandiorum amorem incitent?

Sic ego iucundiora & quæ magis arrideant, vndiquè consector; tu verò Domine mi Iesu, cum in terris viuens, vitæ mihi formam delineares, asperiora tibi sumebas, cogitationi & memoriæ tuæ dolorum olim ferendorum immanitatem semper obiectabas, fueruntque tibi lacrymæ tuæ, siue dolores tui, panes die ac nocte, selectusque tibi cibus facere voluntatem Patris tui, quæ voluntas sanctificatio & liberatio fuit hominum, tuo in sanguine mundatorum, eo que perquam dolorifico profluuio, cum te totum exundaturam scires, Quomodo, inquit, coarctor, vsque dum perficiatur? & auidè illud dolorum stadium decurrendum expero? & non solum à memoria mea dolores illi non recedunt, sed ipsa dilatio dolorem auget. ita mihi salus tua omni meo commodo est potior. Verè, ita est Domine, & quoniam ita est, tuumque tam profusè mihi sanguinem prodegisti, id etiam suppliciter rogo, vt cogitationi & memoriæ infigas crucis tuæ, & similitudinis tuæ characterem, quo insculpta, nihil quod humilitatis tuæ imitationi aduersetur admittat.

Luc. 12.